



ISTITUTO DI STUDI ROMANI
 BIBLIOTECA
 INVENTARIATO AL N°

Lateinische Jugendzeitschrift. Latin ifjúsági folyóirat. Revue latine de la jeunesse.

Laptulajdonos: Katolikus Középkolai Tanáregyesület. — Sumptibus Societatis Magistrorum Catholicorum Mediarum Scholarum Hungariae. — (Praeses: Dr. Andreas Zibolen elnök.)

Administrator (felelős kiadó — Geschäftsstelle — administration), ad quem pecuniae dirigantur: ALEXANDER REGÉNYI, Budapest, VII., Barcsay-u. 5. (tel.: 142-215).

Moderator (felelős szerkesztő — Schriftleitung — rédaction), ad quem manuscripta mittantur: JOSEPHUS WAGNER DR., Budapest, XI., Lágymányosi-utca 20. (telephon: 268-634).

Megjelenik havonta. — Prodit singulis mensibus. Pretium subnotationis an. 1939-40. in Hungaria 3 pengoe, extra Hungariam 4 pengoe. Nummaria chartula (vulgo: chèque) postalis in Hungaria: 57.292. Subnotatores earum gentium, unde pecuniarum transmissio impeditur, utantur schidulis «Coupon réponse international» appellatis, quarum si quis decem in epistola ad administratorem mittit, pretium annuum solvit. Quinis exemplaribus sextum gratuito additur.

De collegio et lyceo Italico-Hungaricis Benedictinorum in Sacro Monte Pannoniae nuper inauguratis.

Lectoribus maioribus scripsit *Benedictus Tihanyi* OSB (Pannonhalma).

Sacer Mons Pannoniae (Pannonhalma), archicoenobium OSB (= Ordinis Sancti Benedicti) antiquissimum iam saepissime erat centrum studiorum totius Regni Hungariae. Quanta et qualia iam facta sunt intra muros ac parietes huius monasterii!

S. Stephano Rege sancti psallebant hic in officiis nocturnis. Primoribus Regni ad comitia sollemnia convenientibus aperuit portas tempore *S. Ladislai Regis*. *Colomanno Rege* paulum hic milites cruciati conquiescebant, quorum dux, *Godefridus Bouillon* hic prosperum eventum belli a deo precibus supplicibus orabat. Vexilla turrium monasterii, quod arx quoque erat, superbe agitabantur vento, quando saeculo peracto *Urias* (= Oros) abbas unā cum exercitu suo in Terram Sacram profectus est. Et tempore *Turcico* quoque quantas vastationes vidit monasterium! Monachi orantes conticuerunt... Pro illis milites vixerunt hic, et pro

abbate praefectus arcis erat dominus. Clangor armorum ibat ad caelum... Ex hoc tempore tra-



In medio discipulorum Hungaricorum et Italicorum stant. Excell.-mi Domini archiabbas Chrysostomus Kelemen et legatus Italiae e comitibus Da Vinci. Ab laeva prof. Constans Linser stat.

Per.
 Lat
 020

ditum est nobis nomen insolitum monasterii, quo hodie quoque utitur populus, nempe «arcis». *Mons Sacer Pannoniae semper cum Regno vixit: lugebat atque laetabatur!* At sors mutata est... Sed vitae Congregationis iterum florere incipientis nec mandatum *Josephi II Regis* Ordinem S. Benedicti abrogans impedimentum verum facere potuit. Arbor vitae filiorum S. Benedicti «succisa virescit» in Hungaria anno MDCCCII iam iterum. Etiam hodie stat haec «arx» firmissima unā cum turribus suis prominens in altum super regionem latissime, tacita, sed vigilans...

Diebus praeteritis proximis iterum res maximi momenti gesta est intra parietes monasterii. *Novum institutum, nova schola media est sollemniter inaugurata.* Quae autem schola in S. Monte Pannoniae minime est tempore prima. Schola haec proavum habet: primam scholam Hungaricam, quae circa a. MX. item hoc loco erat aedificata. Cum hac schola incipit apud nos Hungaros cultus atque humanitas Occidentis. In hac schola eruditus monachus, S. *Maurus*, tempore primus scriptor Hungarorum cum opere linguā Latinā scripto (Vita S. Zoerardi et Benedicti) orditur seriem fere infinitam scriptorum Hungaricorum. Hanc scholam novissimam illā priore antiquissimā minoris momenti haud fore, et saeculis labentibus hīc viros doctissimos, moribus integros atque mox Regnum moderantes educatum iri filii S. Benedicti Hungarici firmissime credunt. Inaugurationem huius scholae novissimae velimus lectoribus «luventutis» hisce paucis describere.

A. d. III. Non. Oct. mane silentium monasterii sonitu automobilium perturbabatur. Primores vitae publicae, magistratus comitatus et oppidi advenerunt, postremo legatus ac minister Italicus e comitibus *Da Vinci*, deinde praesidentes coloniae Italicae cum nonnullis suis discipulis. In ecclesia cathedrali missā sollemni celebratā primores supra dicti cum incolis archicoenobii, monachis, in bibliotheca centrali (cca 300.000 libros continenti), pulcherrime exornatā convenerunt. Chorus fratrum clericorum, id est discipulorum Scholae Superioris S. *Gerardi* et canentium et symphoniarum hymnum regalem Italicum et modulationem incedendi, quae *Giovinezza* dicitur, canebant.

Mox *Joannes Chrysostomus Kelemen* archiabbas orationem inauguralem habuit. Linguā Italicā salutavit primo hospites convenientes, gratias egit rem publicam administrantibus occasione collegii et lycei inaugurandorum. «Congregatio Hungarica OSB — inquebat — in eodem spiritu religioso atque amore patriae pleno vult sustentare et regere novum institutum, quo iam prope mille annos servit patriae Hungaricae». Corde animato salutavit deinde legatum Italicum e comitibus *Da Vinci*, qui ministri Italici rerum externarum quoque vice fungebatur, et edixit: studium maximum ministri Italici, quo foundationem instituti accepit, et, quod assensu illius de illo institutum nomen accepisset, argumenta splendida esse: a gente Italarum et opera virorum Hungaricam regentium, et industriam laboremque Congregationis Hungaricae OSB, quod ad novum institutum pertinet, maximi aestimari. Sicut etiam monasterium S. Montis Pannoniae Romā mille annis ante natum nomen suum historiae Hungarorum inscripsit, — novam hanc scholam quoque officia optima praestitutam esse se spem certam habere asseruit archiabbas, qui deinde praesentes Hungarice allocutus est. Enarravit historiam originis novae scholae. Tempore illo historico, quando *Comara* (= Komárom) patriae nostrae iterum adiuncta

est, *Paulus* e comitibus *Teleki*, tunc minister cultus et institutionis publicae oppidi residentiam Benedictinam quoque visitavit et ibi grati animi sui commotionem exprimens propter fidem filiorum S. *Benedicti* ibi docentium per viginti annos obsessionis integre servatam edixit: sibi propositum esse in honorem cultus atque humanitatis Italiae et in memoriam auxilii a gente Italica accepti hic, in oppido *Comara* gymnasium Italicum instituere eumque filiis S. *Benedicti* Hungaricis regendum comittere. Consilium hoc mutatum est ex parte et gymnasium in S. *Monte Pannoniae*, loco veterrimo connexuum Italicum-Hungaricum est institutum. Deinde explicavit archiabbas cultum atque humanitatem Italarum filiam esse antiquitatis Graecorum et Romanorum a Christianismo supernaturalitate impletam. Pronuntiavit Benedictinos Hungaricos culturae machinarum aetatis nostrae nunquam servituros esse, sed «aeterno humano» a Christianismo sanctificato.

Finis sequetur.

Vivum Latinum.

«Per lo studio e l'uso del latino». Fasciculus II huius praeconii ad usum internationalem linguae latinae renovandum ab Istituto Studiorum Romanorum editi nuper prodiiit (pag. 105—196). Summarium: *T. Zielinski*: De Societate Linguae Latinae usui internationali adaptandae Varsoviae consistente. — *P. Fabbri*: Quam utile sit Latinam linguam latine docere. — Praeterea de cultu latinis in Britannia, Italia, Rumania, Austria, Hungaria, America Septentrionali, Belgica, Batavia, Luxemburgo, Columbia, Bolivia, Costarica, Estonia, Lituania, Graecia, Russia, Hispania, Turcia, Paraguaio, Uruguaio professores Pighi, Last, Pascu, Nye, Iax, Herescu etc. lectores certiores faciunt. Hoc periodicum, cuius pretium annuum est librae italicae 80 (huius fasciculi: l. it. 30) omnibus linguae Latinae amicis perimpense commendamus.

Orationes latinae. Prof *Ioannes Hankiss dr.* auditores extraneos cursus internationalis aestivi in urbe Debrecen habiti latine salutavit. *Aemilio Malcsiner* tertium decennium moderatoris ephemeridis lithographicae catholicae «Magyar Kurir» (Cursor Hungaricus) celebranti, qui bullas, encyclicas ceteraque scripta latina Summi Pontificis in sermonem Hungaricum convertere et divulgare solet, in epulis sollemnibus nomine ephemeridum latinorum *Iosephus Wagner dr.* cum verbis latinis propinavit.

Jan Neruda (1834—1891):

1. Ad tumultum patris.

*Multos post annos, peregrina per arva vagatum,
huc tandem reducem me via longa tulit,
postquam sunt dilapsa diu, quae sancta putaram,
et lusere meam somnia prisca fidem.
Adsto nunc humili tumulo vilique, sepulta
dudum defuncti, qui tegit ossa patris,
et subito videor rursus puer esse pusillus,
quavis labe carens, candidus, innocuus.
Coniunctis adsto manibus tremulisque labellis,
dum mentem subeunt talia sensa meum:
Quae peregre usque mihi torpebant frigore corda,
ecce-domi quanto fota calore tepent!*

Latine reddidit *Fr. Palata* Trebic (Moravia).

LECTARIUS MINIMIS.

Jocosa.

1. *Discipulus*: Potestne puniri, domine magister, qui nihil fecit? — *Magister*: Nequaquam,¹ filiule. Cur quaeris hoc a me? — *Disc.*: Quia pensum domesticum non perfecit.

2. In contione quadam, qui aderant, semper maiore voce confabulabantur² inter se, donec orator: «Favete³ linguis — ait — ne⁴ meam quidem⁴ vocem audire possim». — «Nihil amisisti!» — responsum est facete.⁵

3. *A.*: Meministine me horologium⁶ portatile⁶ meum amisisse? — *B.*: Memini. Ante sex menses, nonne? — *A.*: Sic est. Et quid non fit casu?! Heri prompsi pectorale⁷ textile⁷ vetus, et suspicaris-ne⁸ quid invenerim in sinu⁹ eius? — *B.*: Horologium, exclamat ille. — *A.*: Non, respondet hic, fissuram.¹⁰

4. Iulia parva lacrimans querebatur¹¹ matri de fratre natu maiore: «Petrus me verberavit». — «Cur verberavisti sororem tuam?», interrogat eum mater. — «Exaudi et iudica tu ipsa, matercula, dicit ille. Ludebamus, ego partes¹² Adami, Iulia autem Evae agebat.¹² Et haec, quae debebat¹³ mälum¹⁴ mihi offerre, tolum sola comedit!...»

5. *Omnibus vivendum¹⁵ est.* *A.*: Cur effundis medicinam? — *B.*: Iam dicam. Medicum consultavi, quia etiam medicis vivendum est. Medicinam praescriptam emi, quia etiam pharmacopolis¹⁶ vivendum est. Nunc autem effudi, quia etiam ego vivere volo.

6. *Bonus eques.* *A.*: Certe iucundissime equitabas? — *B.*: Vere. Sed non vidisti equum meum domum currere?

7. *A.*: Melius est dare, quam accipere. — *B.*: Pater meus quoque hoc dicit. — *A.*: Quid est pater tuus? — *B.*: Pugilator.¹⁷

8. *Fur¹⁸ probus.* *A.*: Dicat quisque, quod vult, tamen virum probum esse utilissimum est. — *B.*: Quid vis dicere? — *A.*: Iam explicabo! Hebdomade¹⁹ praeteritã canem furatus sum.²⁰ Viginti nummis vendere volui et ne²¹ asse quidem²¹ vendere potui. Reportavi domino. Accepi ab eo 50 nummos.

9. *A.*: Cur non vidi te tam diu, domine? — *B.*: Aegrotabam,²² domine medice.

10. *A.*: Heri a medico meo dentium ad theam invitatus eram. — *B.*: Estne ille homo²³ delectationi natus?²³ — *A.*: Est sine dubio, sed horribiliter aliena²⁴ cogitans.²⁴ — *B.*: Quid? Quo modo? — *A.*: Dedit mihi pocillum²⁵ theae dicens: «Eluas,²⁶ quaeos,²⁷ os tuum!»

11. *Fraudator²⁸ cauponum.²⁸* Pincerna²⁹ hospitem sequi³⁰ contendit³⁰ dicens: «Heus, oblitus es vinum solvere³¹!» — *Hospes*: «Etenim potavi, ut oblivione³² caperer³²!» *Ios. Guelmino Bp.*

12. *Desiderium modestum.* *Vir*: Quot annos³³ natus³³ es, puerule? — *Puer*: Septem. — *Vir*: Quid hominis³⁴ fieri³⁴ vis³⁴? — *Puer*: Octo annos natus.

13. *Homo in publico³⁵ ambulans*: Quid³⁶ tibi hic negotii³⁶ est, puer? — *Puer*: Unum pengoe. — *Homo*: Ergo amisisti? — *Puer*: Non. Sed invenire cupio. *Ioannes Kápolnai disc. Mezökövesdiensis.*

¹ semmiesetre sem = keinesfalls = nullement ² cseveg = plaudern = bavarder ³ kimél = schonen = ménager ⁴ még... sem = nicht einmal = pas même ⁵ élcesen = witzig = spirituellement ⁶ zsebóra = Taschenuhr = montre ⁷ mellény = Weste = gilet ⁸ kitalálod-e = erraten = deviner ⁹ zseb = Tasche

poche ¹⁰ lyuk = Riss = trou ¹¹ panaszkodni = sich beklagen = se plaindre ¹² szerepet vizs = Rolle spielen = jouer un rôle ¹³ kellett volna = hätte sollen = aurait dû ¹⁴ alma = Apfel = pomme ¹⁵ kell élni = sollen leben = doivent vivre ¹⁶ gyógyszerész = Apotheker = pharmacien ¹⁷ ökölvívó = Faustkämpfer = boxeur ¹⁸ tolvaj = Dieb = voleur ¹⁹ hét = Woche = semaine ²⁰ loptam = stehlen = voler ²¹ még... sem = nicht einmal = pas même ²² beteg voltam = ich war krank = j'étais malade ²³ jó társalgó = guter Gesellschafter = agréable causeur ²⁴ szórakozott = zerstreut = distrait ²⁵ csésze = Tasse = tasse ²⁶ kiöblít = ausspülen = rincer ²⁷ kérem = bitte = je vous prie ²⁸ fizetés elől szökő vendég (vendéglősök rászédője) = Zechpreller = carottier ²⁹ pincér = Kellner = garçon ³⁰ utána siet = nachlaufen = courir après ³¹ kifizet = bezahlen = payer ³² felejt = vergessen = oublier ³³ hány éves? = wie alt = quel âge as-tu? ³⁴ mi akarsz lenni = was willst du werden = que veux-tu devenir? ³⁵ utca = Strasse = rue ³⁶ mi keresni valód van? = was hast du hier zu suchen = qu'as-tu à chercher ici?

1. *Quidam colonus nundinis¹ bracas² emit, quas in humero laevo ponit, deinde domum tendit. Cingarus³ vestigiis⁴ eum secutus⁴ extremam partem bracarum de tergo anteeuntis dependentem acu suae tunicae assuit,⁵ et puncto⁶ temporis⁶ opportuno totas bracas de humero possessoris in suum transiicit. Colonus iacturam⁷ animadvertens clamorem⁸ magnum tollit.⁸ Cingarus consolatur⁹ eum et edocet: «Accidit hoc in tali tumultu, ubi fures¹⁰ palam vagantur.¹¹ Ego cautus fui. Bracas, quas emeram, vesti meae firme assui. Homini sic decepto* cingarum auctorem furti esse nec in mentem venit.*

2. *Cingarus mälum furatur.¹² Herus¹³ tamen forte in hortum intrat. Cingarus vafer¹⁴ de arbore capite annuit¹⁵ ei et digito virgultum¹⁶ proximum monstrans susurrat¹⁷: «Affer scolopetum¹⁸! Lepus¹⁹ inest». Herus silentio maximo vestigia²⁰ refert,²⁰ scolopetum afferre properat, cingarus vero aufugit.*

3. *Notarius per iocum²¹ cingarus sponsione²² provocat²²: «Heus, cingere, uter nostrum nocte pulchriora somniat, ille leporem habebit». Cingarus sponsionem²³ facit²³ cum eo, sed adhuc vespere leporem e camera notarii furatur. Mane notarius incipit: «In somniis in coelo inter angelos fui et...» Cingarus incidit²⁴ verba eius: «Sane, vidi te. Et de coeli altitudine te reversurum esse haud sperans comedi leporem».*

Fel. Gondán dr. O. Cist. — Baja.

¹ hetivásáron = Wochenmarkt = marché hebdomadaire ² nadrág = Hose = pantalon ³ cigány = Zigeuner = tsigane ⁴ nyomon követ = auf den Fersen folgen = suivre les traces ⁵ hozzávarr = annähen = coudre à ⁶ pillanat = Augenblick = moment ⁷ veszteség = Verlust = perte ⁸ lármát csap = Lärm machen = faire du bruit ⁹ vigasztal = trösten = consoler ¹⁰ tolvaj = Dieb = voleur ¹¹ csavarog = umherschweifen = fläner, rôder ¹² rászédett = betrogen = dupé, trompé ¹³ lop = stehlen = voler ¹⁴ dominus ¹⁵ ravasz = schlau = rusé ¹⁶ integet = zunicken = faire des signes ¹⁷ bokor = Gebüsch = buisson ¹⁸ ság = flüstern = souffler ¹⁹ puska = Flinte = fusil ²⁰ nyúl = Hase = lièvre ²¹ visszaoson = zurückerschleichen = retourner à pas furtifs ²² tréfából = im Scherze = par plaisanterie ²³ fogadást ajánl = zu einer Wette auffordern = proposer un pari ²⁴ fogad vele = wetten = parier ²⁵ félbeszakít = unterbrechen = interrompre

De somnio mendici¹ Muhamedani. Mendicus Muhamedanus amico suo narrat: Nocte dormiens in somnis vidi in paradiso prophetam nostrum, Muhamedum, qui me benigne accepit et explicavit, quam longa sit aeternitas² et quam opulentum sit universum: ³ «Mille anni comparati ad aeternitatem punctum⁴ temporis⁴ sunt et decies centena milia (vulgo: millio) aureorum comparata ad divitias universi nummulus⁵ sunt». Tunc ego ab eo nummulum petivi, sed — eheu — ille respondit: «Exspecta punctum temporis, tum dabo».

Ladislaua Tamás
abituriens Scholarum Piarum Vesprimiensium.

¹ koldús = Bettler = mendiant ² örökkévalóság = Ewigkeit = éternité ³ mindenség = Weltall = univers
⁴ pillanat = Augenblick = instant ⁵ fillér = Heller = centime

Singulare infantis nomen. Agricola infantem filium nuper¹ natum baptizandum² apportat et rogat parochum,³ uti ipse nomen parvulo aptum eligat. Iste dicit: «Id non meum officium est et omnino⁴ id facere nolo, ne postea — si forte nomen parum conveniens videatur — pro ea re parentes me culpent».⁵

Tandem precibus agricolae motus: «Nonne litanias — inquit — nosti,⁶ ubi sanctorum nominum series longa citatur? Ex illa nomen, quod tibi placet, elige!» Agricola paululum⁷ meditatus⁷ respondit: «Si ea res tam molesta Reverendissimo Domino videtur, iam primum statim a fronte⁸ elegi: Esto igitur parvuli nomen: ... Kyrie eleison!»

Nucifer (Wejherowo-Polonia).

¹ nemrégiben = unlangst = récemment ² megkeresztelés végett = zur Taufe = au baptême ³ plébános = Pfarrer = curé ⁴ egyáltalán = überhaupt = du tout
⁵ hibáztat = beschuldigen = jeter la faute ⁶ ismered = kennst du = connais-tu ⁷ kissé elgondolkozott és = nach kurzem Nachdenken = après une courte réflexion
⁸ az elejéről = Anfang = au début

Patriae amor Helvetiorum.

Paucae regiones sunt, in quibus patriae amor tantus sit, quantus in Helvetia. Si a quodam Helvetiae incola, quaeritis: «Quid ante omnia amas?», semper idem respondebitur: «Regionem meam». Et sane Helvetii, cum in regionem longinquam proficiscuntur, semper unā spe reguntur; quae illorum labores sustentat et certitudinem alit, se nives, glaciatas¹ moles,¹ flumina, magnas quercus,² castaneas foliis densas, excelsas abietes³ olim revisurum esse. Cogitate denique, quantopere cor eorum moveatur memoriā infantiae, amicorum et parentum trementium, vel iam in sepulcro floribus pleno iacentium.

Summo desiderio desiderant domum reverti.

Latine reddidit: *Franciscus Storni*,
disc. Gymn. Lucanensis.

¹ jégár = Gletscher = glacier ² tölgy = Eiche = chêne ³ fenyő = Fichte = sapin

LECTORIBUS MEDIIS

Luctatio Japonica.

Colloquebamur, quam mirabilis populus Japonicus esset. Ibi est exempli gratia in gymnastica eius luctatio Japonica, quae «dsiu dsitsu» nominatur et excellentissima defensio vitae est. Custodes¹ quoque publici,¹ Budapestinenses docentur artificia² luctationis Japonicae.

«Attamen in castris custodum publicorum Budapestinensium res mirabilis facta est» — narrat medicus de omnibus rebus certior factus.

— Audiamus! — clamitabant amici, qui aderant. — Tum advenit rure juvenis, ut publicus custos fieret. Campio³, qui dolos luctationis Japonicae docet, dicit ei: «Faciem⁴ mihi feri,⁴ quantā vi potes! Noli timere, iam defendam me.»

Adulescens ferit ei faciem bono more Hungarico. Campio corrui. Aquā inspersā vita ei redditur. Non potuit arcēre? Arcebat certe. Sed ille plagam⁵ ab dextra expectavit. Custos autem novus scaevola⁶ erat.

Margaretha Bertin

abituriens thygatrogymn. Kaposváriensis.

¹ rendőr = Schutzmann = sergent de ville ² fogás = Kunstgriff = finesse ³ bajnok = Meister = champion
⁴ képen üt = ins Gesicht hauen = frapper à la figure
⁵ ütés = Schlag = coup ⁶ balkezes = Linkshänder = gaucher

Quid de pellicula¹ sciendum sit. (3)

Scriptis *Ladislaua Javorik* disc. Tatanus.

Natura² et vis² machinae pelliculariae moderatae est camera opaca lenticulā³ optimā instructa. In superiore parte arcae taeniā⁴ tubulū⁵ circumvolvitur. Si machina manu aut motore movetur, taenia pellicularis transit in tubulum in parte arcae inferiore positum, cui circumvolvitur. Quae devolutio tamen non est aequabilis. Malleolus⁶ enim unoquoque circuitu finito dentem rotae dentatae attingit, quae per foramina pelliculae tantum taeniae ante lenticulam trahit, quanta est figura per lenticulam luce picta. Cum taenia ante lenticulam iam immota stat, luci exponitur. Vis lucis diaphragmate ad regulam⁷ dirigi⁷ potest. Imago rerum luce picta maior aut minor erit, si spatium inter machinam remque luce pingendam augebitur aut minuetur. Machinae pelliculariae tribus lenticulis dissimile spatium foci habentibus instructae sunt, quae singillatim ad foramen camerae trahi possunt. *Continuabitur.*



Pars primae pelliculae
Edisonis (1891).

¹ vulgo = film ² lényeg = Wesen = la partie essentielle ³ lencse = Linse = lentille ⁴ filmszalag = Filmstreifen = bande de pellicule
⁵ orsó = Spule = bobine
⁶ kalapács = Hammer = marteau ⁷ szabályoz = regeln = régler

Commercium epistolare.

Josephus Wagner Dr., Budapest, XI., Lágymányosi-utca 20.

Cum benignitate tua ephemeridem «Iuventum» Idibus Aprilibus editam accepissemus, constituimus epistolam ad te scribere; quam si in ephemeride illa edere velis, speramus aliorum gymnasiolorum discipulos nobiscum hoc modo communicatos esse.

Gymnasium nostrum XV milia passuum abest Londinio, prope vicum quemdam situm, qui in apertis agris iacet. Discipuli circa quingenti sunt, quorum pars maior apud gymnasium noctu dormire solent, ceteri quotidie adsunt.

Ante meridiem per classes XXIII divisi discimus inter alia Linguam Latinam, Linguam Francicam, Linguam Graecam, Mathematicam, Historiam. Post meridiem circa horam tertiam studiis intermissis¹ ludos ludimus, in primis illum ludum, in quo pila aut pede aut manu propellitur; interdum agrorum perambulationes vel Explorationem² Puerilem³ facimus. Vesperis autem in posterum diem aut legitimus aut scribimus ea, quae magistri nostri imperant.

Hactenus de studiis nostris et vita cotidiana. Salutem dicimus amicis nostris Hungaricis et Helveticis, sicut omnibus, qui hanc ephemeridem legent. Ipsi tibi omnia laeta nuncupamus.³ Vale.

Scribebant discipuli Collegiae Epsomiensis ex IV classe, a. d. III Id. Oct., MDCCCXXXIX.

Pretium annuae subnotationis ad M. rem Alexandrum Regényi missum est aliā epistolā.

(Magister) A. B. Nash Esq., Epsom College, Epsom, Surrey, England.

¹ félbeszakít = unterbrechen = interrompre ² cserkészet = Pfadfinderübung = scoutisme ³ kíván = wünschen = souhaïter

Nuntii recentissimi.

Primus¹ ministrorum Hungariae edicto num. 8310/1939. iussit amplitudinem omnium ephemeridum periodicarum 50%-is minui. Quae cum ita sint, etiam «Iuventus» non plus quam 8 paginas singulis mensibus — etiam Iulio Augustoque — dabit. Dolendum est, quod cum tot manuscripta in dies ad moderatorem mittantur, impeditur, quominus quam plurimum horum opusculorum edantur. Sed ubi primum hoc edictum abrogata erit,² etiam lectores nostri iterum 16 paginas, sicut adhuc accipiunt.

Bellum in Europa magis maritimum et aërium, quam terrestre geritur. Germani enim limite «Siegfried», Franci autem limite «Maginot» defensi alteri in alteros impetum facere non audent. Germani navibus submarinis naves hostium submergunt, Britannii Francique naves Germanorum capiunt aut submergunt, et quia sciunt exercitum Germaniae ingentem haud devinci posse, populum Germaniae fame³ suffocare³ student. Nuper Americani aliquid de neutralitate immutaverunt⁴ et merces non nisi numeratā⁵ pecuniā vendunt emptoribus, qui merces ita emptas suis navibus exportare debent. Haec ratio commercii Britannis Francisque favet, quia Germani paucum habent et navium et metalli nobilis, contra Britannii Francique et navium et auri satis habent. Nihilominus Germani a populis Europae neutralibus res neces-



Pittacia recentissima clarissimos maiorum protestantium Hungariae representantia.

sarias non pecuniā, sed compensatione mercium emunt, quas mirabili diligentia in fabricis officinisque praeparant.

Quia bellum etiam parvis populis, quamquam neutrales sunt, haud parvas affert calamitates, novissime **Albertus** rex Belgarum et **Guilemina** regina Bataviae allocutionem ad populos bellum gerentes miserunt sese mediatrices⁶ indutiarum⁷ praestantes, quo prius bellum horribile finiretur. Quibus auditis omnes neutrales — et fortasse etiam pugnantes — suspirant: «Faveant Superi hise conatibus Regis Reginaeque pacem amantissimorum!» Utinam in fasciculo proximo Nativitatem Christi iam annuntiandis indutiis, spe et pignore pacis celebrare possimus!

¹ miniszterelnök = Ministerpräsident = premier ministre ² visszavon = aufheben = retirer, ³ kiéhez-tet = aushungern = affamer ⁴ módosít = modifizieren = modifier ⁵ készpénz = bares Geld = argent comptant ⁶ közvetítő = Vermittler = médiateur ⁷ fegyverszü-net = Waffenstillstand = armistice ⁸ reményteljes zálog = hoffnungsvolles Pfand = un gage prometteur

Tarsicius martyr.

Fabula Christiana a *Iosepho Révay* composita, Kalendis Novembribus Budapestini radiophonice acta.

Valeriano imperatore Christiani, cum crudelissimis atrocissimisque vexationibus exagitarentur,¹ a. p. Chr. n. 258 mense Augusto omnes fere ecclesiae Romanae sacerdotes atque etiam ipse pontifex² maximus² in vincula coniecti sunt. Tum Christianis

¹ üldözni = verfolgen = poursuivre ² pápa = Papst = pape

carceris aerumnis et miseris tabescentibus³ Tarsicius altaris minister, puerulus annos 14 natus eucharistiam apportaturus, cum ad carcerem vaderet, a collusoribus ad pilae⁵ lusionem⁵ invitatur, qui cum charistia aufugiens a sodalibus furore percitis⁶ comprehensus usque ad mortem mulcatur.⁷ Hoc est fabulae decurtatum argumentum. Verum enim ex ista exili⁸ et ieiuna⁹ narratione nisi adumbrata quaedam rerum — pectora auditorum ex imo perturbantium — imago imperfecta concipi nequit. Vitae Christianae descriptio est vivida. Nihil missā Christianorum primaevā¹⁰ fabulae insertā commoventius!¹¹ Vitae ecclesasticae tela¹² iucundissime pertexitur vitae gentilis varietate, ut pilae lusu et militum comissantium¹³ lasciviā.¹⁴ Christianorum morum prisca et intima sinceritas evidentissime exprimitur rebus, quae in domo Proculi pistoris aguntur et amore casto et incorrupto Tarsicii et Priscae. In funere parvuli martyris quis est, quin lacrimis temperet? Iosephi Révay praeteritas res repraesentandi vim semper admirati sumus, sed in recentissima acroasi, qua nuperrime perfruebamur, ut ita dicam, suam ipse facultatem supergressus¹⁵ est. Histriones partes suas summo studio atque egregie egerunt. Fabula magis idoneo die, quam est dies omnium sanctorum, vix agi potuit.

Car. Acs Bp.

³ senyved = schmachten = souffrir ⁴ játszó-
társ = Spielgefährte = camarade de jeu ⁵ labdázás =
Ballspiel = jeu de balle ⁶ felfortyan = wutbesessen = pris
de rage ⁷ agyonverik = wird zum Tode geprügelt =
assommer ⁸ szegényes = notdürftig = ténu ⁹ sovány =
mager = maigre ¹⁰ ősi = uralt = ancien ¹¹ megható =
ergreifend = émouvant ¹² szövet = Gewebe = tissu ¹³ dö-
zsölő = zehend = faire la débauche ¹⁴ duhajkodás = Aus-
gelassenheit = tapage ¹⁵ felülmulta = übertraf = surpasser

Quomodo Romani merces commen- dationibus pervulgaverint? (3)

Ex periodico «Tükör» intitulato. Scripsit I. Révai, con-
vertit Aem. Láng Keszthelyensis.



1. Taberna fabri cultrarii.

Quae monumenta non tantum usum et consue-
tudines negotiandi docent, sed etiam respectu

historiae cultūs humani cognitu digna sunt. Huius-
modi est monumentum, quod tabernam fabri²³



2. Officina cultrarii.

cultrarii²³ repraesentat (fig. 1). In medio est posita mensa mercatoria cum forulo²⁴ reciproco²⁴, super quod cernuntur apparatus²⁵ artis²⁵ medicinalis²⁵, paulo superius pendent cultri, strigiles²⁶, secures, falces²⁷, scalpra²⁸ atque instrumenta medicinalia, sinistra²⁸ mensae astat emptor, dextra venditor. In altera tabula caelata (fig. 2) cernitur officina eiusdem cultrarii. Unus opifex super incudem²⁹ forcipe³⁰ instrumentum tenet, quod alter malleo³¹ tundit. Caelator vi artis effecit, ut ignis, follis³² et longurius³³ cum instrumentis paulum recessisse³⁴ videantur. L. Cornelius Atimetus cultrarius in sua arte perfectus³⁵ atque³⁵ absolutus³⁵ fuisse videtur, quod et instrumenta medicinalia facienda suscepisset. Exstat et tabula caelata C. Camonii Grati gemmarii³⁶ ac aurificis³⁷ (fig. 3): apertae planaequae³⁸ arcae³⁹ anulis, gemmis, armillis⁴⁰, catellis⁴¹ et monilibus⁴² abundabant. Ad sinistram sedet emptor et ad dextram aurifex pretiosissimas suarum mercium ostendit.

Modo nobis insolito fuit instructa taberna⁴³ vinaria⁴³ C. Clodii Euphemi. Pone mensam altam astabat caupo, qui in diversas mensuras⁴⁴ cavas⁴⁴ publice⁴⁵ probatas⁴⁵ in lamina⁴⁶ mensae⁴⁶ pertusa⁴⁷ insertas vinum infudit, puer⁴⁸ vero cauponius⁴⁸ vertibulo⁴⁹ epistomii⁵⁰ inverso vinum emisit in vas emptoris. En antiqua vita cotidiana opere caelato oculis nostris obiecta!

Cicero laudat tabernarios, quam strenui atque negotii amantissimi sint, qui nihil aliud velint, quam ut ipse sellae atque operis et quaestus cotidiani locus i. e. taberna et officina salvae sint. Quos igitur perhorrescere fluctus⁵¹ civiles⁵¹, ne quaestus oclulis tabernis minuatur, constat.

Anno CCXXXVIII. p. Chr., tempore tumultum cruentorum tabernae a mercatoribus tabulis firmissimis oclusae erant. Licet imago vel statua Caesaris gloriosissime regnantis in tabernis collocatae fuerint, tamen tabernae a praetorianis accensae perustae sunt, quod populus a tectis lateribus⁵² lapidibusque eos incesserent⁵³. Temporibus Caesarum tabernae tantummodo diebus nefastis ac tempore ferali domūs Caesareae occludebantur.

Diebus vero festis triumphalibusque ac natalibus Caesaris atque diebus laetis domūs Augustae⁵⁴



3. Taberna gemmarii. (Pag. 38.)

tabernae coronis et frondibus laureis⁵⁵ adornatae et vespere luminibus appositis illuminatae sunt. Mercuriales⁵⁶ igitur fere sine intermissione laborabant, ideoque divulgatione⁵⁷ commendationum⁵⁷ eis usque opus fuit. *Continuabitur.*

²³ késes = Messerschmied = couteleur ²⁴ kihúzható fiók = Schublade = tiroir ²⁵ orvosi műszerek = Ärztlicher Apparat = instrument de chirurgie ²⁶ vakarókés = Schabmesser = grattoir ²⁷ sarló = Sichel = faucille
²⁸ véső = Meissel = ciseau ²⁹ üllő = Amboss = enclume ³⁰ fogó = Zange = tenailles ³¹ kalapács = Hammer = marteau ³² fujtató = Blasebalg = soufflet
³³ rúd = Stange = barre ³⁴ a háttérbe kerülni = in den Hintergrund treten = être placé au fond ³⁵ mester = Meister = maître ³⁶ ékszerész = Juwelier = joaillier
³⁷ aranyműves = Goldschmied = orfèvre ³⁸ lapos = flach = plat ³⁹ doboz = Schachtel = boîte ⁴⁰ karkötő = Armband = bracelet ⁴¹ nyaklánc = Halskette = collier ⁴² gyöngyös és drágaköves nyaklánc = Halsband aus Perlen und Edelsteinen = collier de perles et de pierres précieuses ⁴³ bormérés = Weinstube = cabaret ⁴⁴ űrmérték = Hohlmass = mesure de capacité ⁴⁵ hitelesített = geeicht = vérifié ⁴⁶ asztallap = Tischplatte = plateau de la table ⁴⁷ átlukasztott = durchlöchert = percé ⁴⁸ csapos = Schenkbusch = garçon, caviste
⁴⁹ csapszeg = Bolzen = clef du robinet ⁵⁰ csap = Zapfen = robinet ⁵¹ a politikai élet nyugtalan hullámvása = unruhige Wogen d. polit. Lebens = agitations de la vie politique ⁵² tégl = Ziegel = brique ⁵³ megtámad = jmd anfallen = attaquer ⁵⁴ császári = kaiserlich = impérial ⁵⁵ babér = Lorbeer = laurier ⁵⁶ mercatores sic nominati, quia in tutela Mercurii erant ⁵⁷ hírverés = Reclam = réclame

Quae mihi in „Iuventute” maxime placeant? (3)

Opuscula praemio certaminis ornata.


Ego — discipulus quartae classis Gymnasii Ettalensis — maxima cum laetitia accipio unumquemque fasciculum «Iuventutis» Ephemeridis. Etsi eam nondum diu lego, tamen mihi est amata. Nunc rogor, quae mihi in «Iuventute» maxime placeant. Nescio, ubi sit incipiendum, quia nunquam mecum reputavi, cur ephemeridem adeo

amem. Scivi me eam amare, sed nescivi, cur. Nunc demum reputabo.

Est pulcherrima in «Iuventute» coniunctio lectorum cum ephemeride? Omnes possunt scribere opuscula, ut edantur in «Iuventute». Omnibus est «Iuventus» ephemeris amata et amans, quia illa docet iucundas res et discipuli se exercent in lingua Latina. Et mortuam linguam viventem fecit, quia egregio modo est ephemeris nostri temporis in lingua antiqua.

Est pulcherrimum eius argumentum? Res nostri temporis — et politica, et res bellicae, et cultura litteraeque — leguntur in ea ephemeride. Fabulae, iocosa, aenigmata, omnia dantur nobis. Ephemeris viventis linguae non melius potest monstrare res orbis terrarum. Ego ipse autem puto pulcherrimam esse coniunctionem harum omnium rerum. Omnibus his rebus opus est. Si una deficeret, universa ephemeris nihili esset. Sic autem vero amare possumus «Iuventutem», qui omnibus optationibus nostris satisfacit.

R. Schaeffler (in Bavaria).



Censor aenigmatum: Otto Schmied Vindobonensis.

Solutiones aenigmatum numeri I.

1. Ceres, edidi, ritus, educo, si sol.
2. Nubes, nuces, luces, lucus, lacus.
3. Usus est magister optimus.
4. Alea est iacta.

Aenigmata recte dissolverunt: In Hungaria Veronica Hoffmann, Susanna Kálmán, Helena Korompay, Gabriela Margittay, Jolantha Pukánszky, Eva Somogyi, Aurora Turner, Carolina Wittinghof, Petrina Cholnoky, Helena Eckhardt, Gratia Kerényi, Erica Kis, Maria Kossaczky, Barbara Elekes, Maria Pieke, Gisela Schlosser, Irene Vaszkó, Ludovica Faust, Ildico Fáy, Veronica Árvay, Melinda Bartha, Eva Böhm, Clara Göbner, N. Horváth, Martha Kertész, Aemilia Pokorny, Ferdinanda Rosslaw, Isabella Ruitz (*Szilágyianum*); Georgius Moldoványi (*Werbőczyanum*); Stephanus Székely (*gymn. Archiepisc.*); Veronica Imhof (*Veresianum*); Paulus Tolnay (*Scholae Piae*); Ilsa Mosonyi, Helena Regula (*Giselanum*); Georgius Gonda, Andreas Lajta, fratres Pál, Gabriel Révész, Michael Szabó, Franciscus Szakács, Joannes Vida, Robertus Wimmer (*Bolyayanum*); Clara Deák, Eva Gyenes (*Theresianum*); Egon Rosner, Ladislaus Hegedüs, Joannes Rozgonyi, Petrus Konrád, Carolus Remenyik, Georgius Sárosdy, Petrus Resofszki (*gymn. IPEA*); Margaretha Grabits, Ida Skultéty (*Sophianum*); Margaretha Boros, Maria Henter, Susanna Löwy (*Zrinyianum*); Stephanus Gátszegi, Ladislaus Hitesy, Victor Benáczy, Stephanus Despoth, Detreházy, Georgius Fodor, Geysa Hankó, Stephanus Kapornay, Joannes

Katona, Ernestus Miklay (*Emericanum*) *Buda-pestinenses*; Stephanus Hatvani, Otto Waldner (*Gyöngyös*); Joannes Balázs, Stephanus Börösök, Alexander Káplár, Stephanus Zsembery, Antonius Amstadt (*Kiskúnhalas*); Ludovicus Hársing (*Kis-újszállás*); Eva Balogh, Margarita Gósy, Elisabetha Horváth, Clara Mészáros, Margaretha Véli (*Ginsium*); Joannes Kápolnai (*Mezőkövséd*); Brigitta Légrády, Editha Borsay, Sara Ember, Helena Faragó, Helena Kakasy, Gabriela Kozsely, Fridericca Markbreit, Helena Sebestyén (*Mezőtúr*); Prisca Czuppon (*thygatrogymn. Helv. conf.*) et classis II B *Frateriani (Miskolc)*; Maria Kónya (*Sabaria*); Ladislaus Tamás, Elmarus Sándorffy (*Veszprém*). — In Batavia: G. Frederiks, Guilelmus Steenhof, Willibrordus Wenstedt, Hadrianus Akkermans, W. v. d. Broek, A. v. d. Burgt, Hubertus Gaudelius, Gerardus v. d. Hoven, Cornelius Jacobs, Henricus Sluiter, Petrus Vette, Joannes Vossen (*Kaatsheuvel*): J. Berkvens (*Eindhoven*). — In Germania: Guilelmus Elias, Ervinus Pelouch *Vindobonenses*.

Praemium sorte Petrinae Cholnoky, Paulo Tolnay, Georgio Gonda, Petro Konrád, Margarethae Grabits, Susannae Lówy, Stephano Despoth, Alexandro Káplár, Evae Balogh, Edithae Borsay, Mariae Kónya, G.-o Frederiks, I.-i Berkvens, classi II B Frateriani, Guillelmo Elias obvenit.

1. Quadratum magicum.

1.	2.	3.	4.	
				A A A A
				L N N O
				O R R T
				T U U X

1. Quis nocte nobis lucem dat?
2. A viro ducta femina.
3. Haec res est, quae significat.
4. Quid agitat agricola?

2. Singulis syllabis antepoenendis.

— ce-do	— di-tor
— le-ber	— ti-ens
— e-nim	— bu-nus
— le-re	— mi-cus
— mi-tas	— le-stus
— pe-re	— va-lis
— ne Deus	

Si his syllabis
Praeposueris
Singulas
Alias,
Ut vocabula
Cernas varia,

Tum ex syllabis
Antepositis
Fiet, en, sententia
Flacci celeberrima.

O. S.

O. S.

3. Ad saltum equulei.

pe	mit	li	um
a	pri	ap	tit
A	tit	qui	e
num		pro	

Otto Waldner disc. Gyöngyösiensis.

4. Quadratum magicum.


1.	2.	3.	4.	
				A A D E
				E I I M
				M M M O
				O R R T

1. In nave fracta video.
2. Monstratur hoc pronomine.
3. Quod valet: «messem facio».
4. Fit mihi, si quis amat me.

Hermannus Mulden
Kaatsheuvelensis (in Batavia).

Nota. Lectoribus minimis: 1, mediis maioribusque: 2—4. — Quisquis aenigmatum tot solvat, quantum potest. Etiam unum solum aenigma solventibus praemium petere licet. Discipuli eiusdem scholae solutiones a professore suo collectas in communi involucre epistolae ad moderatorem J. Wagner, Budapest, XI., *Lágymányosi-utca 20*) mittant.

Terminus solutionum: Calendae Ianuariae.



Corrigenda numeri II (Oct.): pag. 18: pro «mater mi» lege: mater mea; pag. 22: pro «triticis» lege: triticis; — pag. 23: pro «libellam» lege: libellum; — pag. 29: pro «Kaatsheuval» lege: Kaatsheuvelensi; pro «1826» lege: 1926.

P. Sipőtz. Quamquam Apuleius et Iulius Valerius in vocativo pronominis «mea» (gen. fem.) «mi» dicunt, tamen rectius est dicere: mater mea. — J. Tóth. Joca tua edentur excepto «Robusto», quem vide pag. 100 anni 1939. — P. Vette, *Ant. v. d. Valk, I. Kerling, L. Hársing, V. Waldner.* Vestra aenigmata censor aenigmatum ordine edet. — G. Bellissima. Tria opuscula nuper missa, dum ephemeris nostra octonas paginas habebit, non publicari poterunt. Terminus edendi est finis belli, qui nunc geritur, nam propter inopiam papyri ephemerides mutilantur. Cura, ut valeas. — Omnes collaboratores monentur, ne longiora manuscripta ad moderatorem mittant, qui non nisi brevioribus opusculis uti potest. — *Lectoribus Epsomiensibus et Vindobonensibus,* qui refutant vetus proverbium «Inter arma silent Musae», moderator salutem dicit plurimam.